

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Luxuria ab
cum uariis

Blandum malum luxuria quam accusare aliquando facilius est quam uitare, que inuictum Hannibalem armis illecebris suis complexa, uincendum Romano militi tradidit. Illa duces uigilantissimos, illa exercitum acerrimum dapibus largis habundanti uino, unguentorum flagrancia, ueneris usu lasciuore ad sompnum et delicias euocauit. Quid hiis ergo uiciis fedius? Quid etiam dampnosius quibus uirtus atteritur, uictorie relanguescunt, sopita gloria in infamiam conuertitur, animi et corporis uires expugnantur, adeo ut nescias an ab hostibus an ab illis capi perniciosius habendum sit?

Valerius libro IX.

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V¹ V² L¹ L²):

Luxuria ab] Luxuria ac P V¹ V² L¹ L²; quam] quod P V¹ V² L¹ L²; que] qui B; dapibus] lapibus P V¹; uino] largitorum *add. (del. infra) M*; flagrancia] fragrantia V² L¹ L²; euocauit] reuocauit C; fedius] fetidius C; relanguescunt] languescunt P V¹ V² L¹ L²; uires] uites C; adeo] a deo (*cor. in marg.*) M; Valerius] Maximus *add.* P V¹ V² L¹ L²